dispositioni decernimus, ut Clarissimorum Dominorum Professorum, per pulsum Campanæ ad Mensam vocatorum prior versum incipiat et cibum benedicat, factaq; benedictione omnes et singuli ordine vocationis ad Collegium, ad Mensam sedeant, alter alteri honorem præbeat, per vices Cibum et potum unusquisq; sumat, nullus alterius tam præsentis, quàm absentis famam et nomen aculeatis verbis pungere ex irrisione reprehendere, aut inanes fabulas, sub carentia sequentis diei portionis aut pluririum pro ratione delicti, proferre audeat, sed lectioni sacræ scripturæ, per unum ex Servitoribus Clarissimorum Collegarum septimanatim sub carentia portionis toties, quoties intermissa fuerit, eousq; faciendæ, quousq; priori Professori ad Mensam tunc præsenti videbitur, quisq; attendat, ac tandem finita Mensa omnes assurgendo gratias Deo agant, alternatimq; Psalmum De profundis cum versibus et Collecta *Inclina Domine etc.* pro Anima Petri Sacerdotis recitent et alteram Collectam pro omnibus Benefactoribus *Deus veniæ largitor etc.* addant. Illis enim debemus esse obnoxii, à quibus Nos recepisse beneficia recognovimus. *c. Cum in officiis. de Testam.*

STATUTUM XXXIII.

De Refectionibus apponendis.

Quoniam præter ordinariam Mensam Communitates et Collegia, maximè diebus solennioribus Refectiones suas seu portiones extraordinarias habere soleant; ideo et hoc Collegium more aliorum Collegiorum illis gaudere debet. Statuimus igitur, ut Dominus Præpositus Domûs statis et ad finem Statutorum præscriptis diebus Refectiones prævio consensu omnium Collegiatorum, vel ex residuitate Censuum pro Mensa ordinatorum, vel ex illis

portio.

portionibus, quæ ob absentiam à Mensa Professoris vel Professorum (quæ absentia Clarissimo Domino Præposito, ne frustra pro Mensa expendat pridie denuntiari debet) remanserunt, vel ex aliis obvenientiis accidentalibus, apponi curet. Quidquid enim locis, temporibus et personis convenit, diligenter attendendum et servandum est. Fieri nempe potest, ut sine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis pretiosiori et lautiori cibo sapiens utatur, insipiens autem fœdissima gulæ flammâ in vilissimum olus ardescat. can. Quisquis. dist. 41.

STATUTUM XXXIV.

De Servitoribus Professorum non multiplicand. et correctione eorum.

Cùm omnis multitudo nihil habeat honesti, imò sæpesæpiùs pariat confusionem. Authen. de Referendar. Collat. 2. et ibi gloss. v. Honestum. ideo et in hac domo multitudinem Servitorum statuimus vitandam esse, nullumque Professorem plures, quàm unum de communi Mensa alendum debere fovere Servitorem decernimus. Si verò aliquis ex Professoribus pro honore suo et honestate alterum Servitorem penes se retinere voluerit, eidem de alimentis providere teneatur. Ut enim Servus Domino operari. l. Statuliberos. §. Si quis servorum. ff. de Statuliber. ita ab eo ali debet. l. Cùm plures. §. penult. ff. de Administr. et peric. tutor. Cæterum isti omnes Servitores in omni modestia se gerant, prava consortia vitent, fabulas (quæ inter Dominos odia aliqua concitare possent) non disseminent, ad Culinam excepta necessitate sæpiùs non descendant, ibique ultra necessitatem ni morentur, sed quisque in residentia sui Domini, vel suo reclinatorio, ut præsto adsit ad obsequium se contineat, Cauponas non vi-